



Vilhelmus natus est 1530 patre Philippo Hassiæ Landgrauio fortissimo, & matre Cristina ducissa Saxoniae. Is cum felici ingenio esset præditus, à pueris optimis præceptoribus educandus traditur, ut & literis & uirtutibus imbueretur. Ibi Vuilhelmus tanta diligentia artibus, & in primis Mathematicis disciplinis operam dedit, ut postea non modo eruditione reliquos principes superaret, uerum etiam doctissimis uiris par esse posset. Cum etiam 1546 bellum Smalkaldicum oriretur, pater eum Argentinam misit, atq; interea dum ipse in castris esset, studijs uacare iussit, id quod Vuilhelmus princeps gnauiter præstitit. Verum cum, Cæsaris fortuna, Pro-

testantibus res non succederet, atq; Philippus Landgrauus Halam euocatus esset, ut Cæsari supplicium fieret, & cum eo in gratiam rediret, Vuilhelmus prius ab Mauritio & Ioachimo electoribus spõsionis literas accepit, & patrem breui in gratiam receptum domum reuersurum sperauit. At res longe aliter euenit, nam pater præter expectationem captus, & in Belgium abductus fuit. Itaque Vuilhelmus cum fratribus Mauritium & Ioachimum Electores sepius de promisso sollicitauit, & effecit, ut multi principes pro patre apud Imperatorem intercederent.